CONDITA

RADICUM, CAULIUM, CORTICUM, FLORUM, FRUCTUUM, PULPARUM.

℞ RADICUM Eryngii q. v.

Mundentur exteriùs, & interiùs, ablatâ medullâ.

Dein macerentur, diem unum atque alterum, in aquâ purâ aliquoties renovatâ; nitidoque panno lineo abſtergantur.

Tum ſume Sacchari albiſſimi pondus æquale; & Aquæ Roſarum tantum, quantum fundendo Saccharo ſufficiat; ſimulque igni admove & deſpuma, tandemque ferè in Syrupum coeto injice Radices; quæ porrò tantiſper elixandæ ſunt, dum abſumpta ſit ſuperflua humiditas, & Syrupus debitam formam acquiſiverit.

His non multùm diſſimiliter condiuntur

Radices { Angelicæ, Enulæ Campanæ, Satyrii, Symphyti majoris, Zingiberis, Zedoariæ.

Sic etiam parantur

Caules Angelicæ, &c. collecti ante nimiam maturitatem.

℞ CORTICUM Aurantiorum recentium q. v.

Aufer extimam flavedinem; &, triduano ad minimùm ſpatio, in Aquâ Fontanâ, ſæpius mutandâ, macera; tum conjice in Saccharum, ut priùs habitum coctumque, & fiat Conditura ſ. a.

His congruenter tractandi ſunt

Cortices { Citriorum, Limonum, &c.

℞ FLORUM Citri q. v.

Cura condiendos cum Saccharo.

Eodem modo agendum cum Floribus Aurantiorum.

℞ MALA Armeniaca quot volueris.

Deme exteriorem pelliculam cum

cum internis ossiculis, & pari Sacchari albissimi pondere immisce.

Rursùm, post quatuor horas, exime; Saccharoque, absque ullo novo liquore, cocto denuo impone, ut simul coquantur s. a.

Condiendi modum aut his omnino similem, aut parùm dissimilem habent alii

Fructus, ut
- Berberis integri,
- Cerasa,
- Corna, sive Cornacerasa,
- Mala
  - Citria,
  - Cydonia,
  - Persica,
  - Vulgaria,
- Myrobalanorum quinque species,
- Nuces
  - Juglandes,
  - Moschatæ.
- Passulæ,
- Piper in racemis ex Indiâ,
- Pruna
  - Hortensia,
  - Sylvestria,
- Pyra,
- Uvæ.

PULPÆ etiam condiuntur, ut Berberorum, Cassiæ fistularis sive solutivæ, Citri, Cynosbati, Cydoniorum, Prunorum sylvestrium, &c.

℞ Berberorum, sive fructuum Oxyacanthæ q. v.

Bulliant in Aquæ Fontanæ q. s. donec tenerescant. Hinc pulpa, ligneo ad id facto pistillo, per cribrum setis densum, ab arillis libera exprimatur. Dein, in vase fictili, coquatur eadem, lento igne, & crebrâ, adustionis metu, agitatione, donec aquosa humiditas evanuerit. Tum demum Pulpæ sex libris admisce Sacchari decem, & percoque in debitam consistentiam.

Condiri etiam dicuntur, sed Muriâ & Aceto, Flores Genistæ nondum aperti: &, inter Fructus, Cappares, Olivæ, &c.

Denique inter Cortices, Cinnamomum: inter Flores, illos Calendulæ: inter Fructus, Amygdalas, Caryophyllos, Pineas, Pistacia, &c. condiri dicimus: utì etiam Semina & Surculos. Sed hæc, ad discrimen aliorum, Saccharo plerumque sicca incrustantur; &, proprio magis nomine, Confecta, sive Confectiones appellantur.

CONSERVÆ,